DE

OVARIORUM DEGENERATIONIBUS EARUMQUE SIGNIS ET CAUSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS AMEKE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

HENR. HOEHNE, MED. ET CHIR. DR.
ADAM. SAUER, MED. ET CHIR. DD.
FRANC. BRISKEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

INTIMA PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Mira est ovariorum ad degenerationes proclivitas. Neque organum aliud ullum tam saepe destruitur, neque ad tantam, ad quantam ovaria, degenerando magnitudinem increscit. Omnes fere, qualescunque in ceteris organis inveniuntur degenerationum species ovaria quoque aut singulae invadunt, aut vario modo conjunctae in iis occurrunt; nonnullae etiam plane iis propriae esse videntur, aut certe rarissime tantum alia organa infestant. His autem morbosi ovariorum status proprietatibus peculiaris quoque structurae et functionis ratio propriaque inter ipsa et organismum relatio respondent, ex quibus illas quoque proficisci, haud dubitandum videtur. Liceat igitur in iis considerandis paululum me versari. Primum quoad structuram ovariorum haud parvi est momenti, maximam partem ea consistere ex corpusculis ejusdem generis pluribus, ovulis nimirum Graafianis, quorum singula, cum propriam quasi vitam sibi vindicent, diversis temporibus modis diversis, prout forte ad hanc illamve degenerationis speciem major sit organismi proclivitas, destrui

possunt. Deinde ovaria cum ad ovula, vi producendi maxima praedita, generanda accommodata sint, tantum quoque in morbis exhibent producendi nisum, ut mira materiarum luxuriatione ad stupendam molem haud raro increscant. Atque etiam quaecunque feriant systema genitalium res noxiae, in ovaria potissimum propter dignitatem iis tribuendam maximam agere necesse est. Gravissimi enim haec inter genitalium systematis organa momenti esse, cum totius sexus feminei perfectio in praesentia eorum normalique structura suffulta sit, deficientibusque ipsis neque mammae sint excultae, neque, quamquam integro utero, ullum sentiatur menstruationis desiderium, et propter multas alias res, vix dubitari posse existimo. Spectanda est etiam adaucta periodice menstruationis tempore genitalium systematis vita diversaque ejus durante graviditate conditio. Imprimis autem huc pertinet singularis illa inter ovaria totumque organismum relatio. Namque cum omnis eorum dignitas ad genitalium functiones referenda sit, morbi ipsorum totius corporis valetudinem tam parum turbare solent, ut ad decursum suum faciendum perlongum iis tempus tribuatur, idque eo magis, cum rarissime tantum ejusmodi sint ovariorum degenerationes, ut natura sua maligna vitam infestent. Magno igitur hoc temporis spatio, iis concesso, et totius organismi et imprimis genitalium conditio variis modis mutatur; a puerili ae-

tate ad pubertatis tempora transitus fit, decursum suum faciunt graviditates, irruit involutionis aetas; totius corporis constitutio et aetate provecta et morbis aliis forte exortis ita commutari potest, ut etiam productionum ejus pathologicarum inde modificationes exoriantur. Quapropter minus fortasse mirum videtur, tam diversis degenerationibus ovaria obnoxia esse, tamque diversas earum species conjunctas in illis plerumque inveniri. Tandem id quoque haud praetermittendum est, si longum tempus ovariorum morbus aliquis exstiterit, ad alium inde fieri inclinationem; sed hac de re infra plura.

Quum autem ovariorum morbis organismi universi, imo etiam genitalium systematis functiones, quippe cum in uno tantum latere sedem habeant, parum plerumque, initio saltem, laedantur, diagnosin eorum perdifficilem esse, atque saepissime tunc demum constitui posse, cum ad certum jam gradum illi pervenerint, perspicuum est. Aptius igitur mihi videtur, praemittere ea, quae cadaverum sectione inventa sint, atque deinde sumpta ex iis morborumque historiis signa diagnostica, quantum pro viris meis exiguis fieri potest, colligere.

CADAVERUM SECTIONES.

Quamquam conjunctae plerumque incedunt ovariorum destructiones, singulas tamen in hasce redigi species posse existimo.

1) Inflammationis exitus vulgares.
2) Tumores cystici.
3) Steatomata et sarcomata.
4) Fungus medullaris et haematodes.
5) Scirrhus et carcinoma.
6) Ossa et cartilagines.
7) Pili et dentes.
8) Concrementa lapidea.
9) Pigmenta diversa.

1) Inflammationis exitus vulgares.

a) Coalescentiae ovariorum cum variis partibus vicinis. Frequentissime observatur ovariorum coalescentia cum tubis Fallopianis, rarius multo cum ipso utero. Illa si in utroque latere facta est, saepe causam praebet sterilitatis (1). Ovariorum quidem degeneratorum conglutinationes cum plurimis abdominis visceribus frequentissimae sunt, sed *Walter* observationem quoque fecit, in puellis publicis ovaria saepissime cum partibus vicinis connata esse.

b) Suppuratio. Haec saepe oritur in ovariis, quin inflammatio adeo vehemens sese prodiderit, totaque haec organa in saccos immutat eximiae nonnunquam magnitudinis. *Taylor* (2) ovarium se observasse affirmat, suppuratione in saccum com-

(1) Sam. Gottl. Vogel's Handbuch der pract. Arzneywissenschaft. Stendal 1795. Th. 4. S. 434.

(2) North-American medical and surgical journal. 1826.

mutatum tam magnum, ut totum abdominis cavum implerit pondusque ejus septemdecim aequaverit libras. Sed tamen ubi ad certam quandam magnitudinem ovarium puris accumulatione pervenit, rumpi solet, atque quaeritur, an illud ovarium a *Taylor* observatum non potius tumore aliquo cystico, quam suppuratione degeneratum fuerit. Prout sint coalescentiae, effunditur fluidum aut in uterum, aut in vaginam, aut in vesicam urinariam aut in tractus intestinalis aliquam partem, postquam horum quoque organorum parietes vicini processu morboso perforati sunt. Cum vesica iniisse ovarium communicationem observavit *Andral* (3). Deficiente conglutinatione in abdominis cavum fluidum purulentum effunditur; nec desunt observationes, in abdominis integumentis apparuisse tumorem iisque perrosis ad externa pus profluisse.

c) Spacelum se vidisse affirmant *Riverius* (4) et *Schenkius* (5).

2. Tumores cystici. Hi quidem frequentissime in ovariis inveniuntur magnaeque horum in illos procreandos proclivitatis causam in normali eorum gignendi vesiculosa corpora, ovula nimirum,

---

(3) Grundrifs der pathol. Anat. übers. v. Becker. Leipzig 1830. Th. 2. S. 406.

(4) Teoph. Bonneti sepulchretum. Genevae 1679. fol. libr. III. sect. XXXIII. §. 8. p. 1330.

(5) Idem l. c. libr. III. sect. XXI. obs. 56. p. 1142.

functione *Meckel* (6) se invenisse sibi videtur. Atque revera multi medici ex ipsis ovulis oriri illos, neque aliud quidquam esse, quam ovula morboso quodam processu magnitudinem praeternaturalem adepta existimant. Sed multis in casibus tumorum illorum numerus multo major est, quam ovulorum, ac praeterea quid opus est, alium eorum assumere oriundi modum in ovariis, alium in ceteris organis? Nullo tamen modo ita, ovula quoque degenerari posse degenerandoque ad insolitam increscere magnitudinem, negaverim. Aliorum sententia est, effundi primum fluidum aliquod in cellulam textus cellularis, quo comprimatur tela cellulosa vicina, atque ex hac demum ejus condensatione saccum oriri. Sed hanc quoque originem eorum *Bichat* (7) recte negat; contra *Meckel* (8) nonnunquam ita eos progigni non dubitat. Diversam habent cystides in ovariis structuram et quoad tunicam earum et quoad contentum. Tunica earum duplici modo se habet. Formatur enim aut ex membrana serosa aut ex crassiori, vasculosiori, non pellucida, ad membranas mucosas accedente, firmius adhaerente telae cellulosae vicinae. In hoc quidem casu contentum quoque fluidum majoris est consistentiae atque puri-

---

(6) Handbuch der pathol. Anat. Leipzig 1818. Bd. 2. Abth. 2. S. 148.

(7) Ueber die Häute übers. v. Dörner. S. 227.

(8) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 131.

forme, ita ut facile abscessum te conspicere tibi videaris. Haec cystidum species, etsi rarissime in ceteris organismi partibus, frequentissime tamen in ovariis invenitur, et quidem plerumque simul cum saccis serosis fibrosisque tumoribus (9). Tumores cystici aut ipso ovario insident aut stylo adhaerent nonnunquam satis longo. *Meckel* (10) in ovariis puellarum publicarum semper fere se invenisse narrat tumores cysticos stylo peritonaei duplicatione formato aut ovariis aut tubis aut ligamentis uteri latis adhaerentes. Contentum autem in saccis serosis admodum diversum est, serum, materia lactea, puriformis, gelatinosa, sebosa, sanguis aut fluidus aut coagulatus, pili, dentes, ossa, pigmenta diversa; atque secundum hanc materiae contentae diversitatem modo hydrops ovarii saccatus, modo atheroma, meliceris, lipoma etc. nominantur. *Meckel* (11) admodum memorabile ducit rarissime tantum hydatides liberas in ovariorum tumoribus inveniri, quippe quae ceterum perfectissimae organisationis corpora, ut pilos, dentes etc. contineant. Observavit etiam *Morgagni* (12) in ovariis cellulas plane vacuas, qua-

---

(9) Meckel l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 141.

(10) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 145.

(11) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 426.

(12) Morgagni de causis et sedibus morborum per anatomen indagatis. Venetiis 1762. fol. epist. XXI. art. XXIX.

rum parietes erant subflavi coloris. Tumores fluidum continentes hydropem ovariorum sistunt. De hydrope autem ovariorum libero, cum non cavum unicum in iis insit, cogitari nequit, semperque sacci alicujus formatione opus est. Conjunctus est ovariorum hydrops frequentissime cum aliis diversi generis degenerationibus secundarieque ex his saepe oriri videtur, sed nonnunquam tamen sine alio ullo illorum vitio occurrit. Multis ex observationibus elucet, saepissime hanc hydropis speciem in latere sinistro inveniri, cujus rei causam *Carus* in praevalenti lateris sinistri productivitate ponit. Hydrops autem duplici modo ovarium occupat. Aut enim totum ovarium in unum convertitur saccum, aut in pluribus fluidum, plane discretis, continetur. Hoc in casu diversissimas plerumque materias singuli tumores includunt. Inter ambas species transitus ea fit hydropis forma, in qua saccus septis intimae tunicae duplicatione formatis in plura loculamenta divisus est. Ex hac hydropis forma nonnulli oriri speciem priorem eo existimant, ut septa illa rumpantur. Huic autem sententiae, cum sacci parietes altero latere liberi potius, quam qui in utroque latere ipso fluido sustentati sint, rumpi in abdominisque tunc cavum effusionem fieri debere videatur, assentiri vix possum. Tumorum magnitudo admodum diversa est ac saepe mirabilis. *Andral* (13)

---

(13) l. c. Th. 2. S. 408.

ita narrat semper fere saccos se distributos vidisse, ut anteriorem ovarii partem magnus unus saccus occupaverit, posteriori insederint plurimi minores; quae autem res utrum ex certa quadam naturae lege, an ex casu quodam derivanda sit, incertum se esse ipse fatetur. Majorum tumorum interno lateri saepe affixi sunt minores innumerabiles, interna tantum majorum tunica obtecti.

Brevi huic cystidum ovariorum descriptioni paucorum exemplorum enarrationem adjungam. *Meckel* (14) ovarium sinistrum in saccum simplicem commutatum vidit fluidum aquosum continentem; tegumenta crassitie ubique lineam dimidiam aequabant; propriae ovarii structurae nihil inveniri poterat. *Sampson* (15) casum observavit, ubi totum abdominis cavum hydatidibus impletum erat diversae magnitudinis. Omnes hae vesiculae simul libras CXII seri tenacis continebant. *Meckel* (16) ovarium describit dextrum in unum conversum saccum ubique tribus formatum membranis, externa serosa a peritonaeo proficiscente, media fibrosa, albuginea nimirum ovarii tunica, interna serosa propriamque sacci tunicam sistente. Tunica intima rugosa fuit ex ipsius

(14) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 149.

(15) In Leske's Auszügen a. d. philos. Transact. Bd. VII. Heft 2.

(16) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 149.

duplicationibus et quasi reticularis. Septis duobus divisus erat in partes tres inaequales; aliae tunicae propriae duplicationes ita in sacci cavum prominebant, ut imperfecta viderentur septa. Ovarium sinistrum ponderis XXXVII librarum in multos saccos degeneratum, quorum alii fluidum gelatinosum, alii cremori lactis, alii sebo simile continebant, observavit *Monro* (17). Vetulae, quae per quinquaginta annos hydropico tumore aegrotaverat, ovarium dextrum libras centum pendens totumque abdomen occupans idem (18) vidit. Ovarium sinistrum in duos saccos extensum diametris communis quindecim pollicum retulit *Meckel* (19). Minores cystides plurimae magnitudine ciceris ad illam nucis juglandis usque inter tunicam majorum saccorum mediam et internam passim coacervatae erant. Ovarium sinistrum induratum et sanguine semiconcreto repletum *Morgagni* vidit. De saccis pilos, ossa, pigmenta varia continentibus infra exempla afferam.

3. Steatomata et sarcomata. Horum in ovariis formatio vix rarior est, quam tumorum cysticorum. Plerumque autem sub nomine scirrhorum, indurationum, hypertrophiae describuntur. Oriuntur aut in parenchymate atque tunc post longius

---

(17) Von der Wassersucht und ihren Gattungen. Leipzig 1762. 8. S. 237.

(18) l. c. p. 245.

(19) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 151.

brevinsve tempus fluidi alicujus effusionem adducunt, aut in superficie, eamque asperam, corrugatam, tuberculosam, striatam reddunt: quod quidem frequentissime tunc accidit, cum ad cysticas degenerationes accedunt. Plerumque hujus generis destructiones ossificationis quoque initium efficiunt. *Meckel* (20) in vetulae cadavere ovarium sinistrum magnitudine invenit normalem quadruplo superante, superficie tuberculis globisque inaequali; continebat saccum serosum, cujus superiori extremitati corpus durum fibrosumque longitudine pollicis integri, latitudine dimidii et ex parte ossificatum insidebat. Ovarium sinistrum induratum decem libras pendens variis tuberibus sulcisque inaequalibus et globis coacervatis cum tuba sinistra connatum retulit *Drelincurtius* (21). Ovarium induratum longitudine novem, latitudine quatuor pollicum cum laminibus ab altera ovarii extremitate ad alteram excurrentibus immixtisque molleculis osseis *Motz* (22) descripsit. Steatoma magnitudine pugni vidit *Riolanus* (23). De hypertrophia autem ovariorum addendum adhuc mihi videtur, sine alia ulla degeneratione vix unquam eam ocurrere.

(20) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 254.

(21) Lieutaud hist. anat. med. edit. Schlegelii. Vol. I. p. 431.

(22) De structura, usu et morbis ovariorum. Jenae 1789. p. 33.

(23) Bonnet. l. c. libr. II. sect. XI. obs. XLVII. p. 707.

4. Fungus medullaris et haematodes. Rarissime tantum his ovaria obnoxia sunt; sed tamen *Baillie, Wardrop, Burns* destructa illis ovaria descripserunt.

5. Scirrhus et carcinoma. Licet horum plurima scriptores exempla afferant, haud tamen auctore *Meckel* (24) dubitandum est, quin formationes cartilagineas et osseas pro scirrho plurimis in casibus habuerint. Scirrhus verus et carcinoma raro tantum, primarie saltem, in ovariis sedem habent; cujus rei admodum memorabilis causam *Meckel* miram illam ovariorum in productiones normalibus corporis telis similes proclivitatem habet; aliter autem res se habet, si, ab utero exiens, ad illa scirrhosa destructio propagetur.

6. Ossa et cartilagines. Horum in ovariis oriundi modus duplex est. Aut enim nova plane progignitur ossium tela aut ipsa ovariorum substantia destructione eorum naturam structuramque induit; quo quidem in casu steatomatosam degenerationem aut sarcomatosam saepe antecedere supra jam dictum exemplisque comprobatum est.

Observavit etiam *Le Clerc* (25) in cadavere feminae sexaginta annorum ovarium dextrum magnae molis, induratum passimque ossificatum. Materiam continebat puriformem eademque repletum saccum

---

(24) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 363.

(25) Roux Journ. de médic. T. 12. p. 530.

in parte superiori. Mollecula ossea stylo ovariis adhaerentia haud raro, praesertim apud puellas publicas, occurrunt. Frequentissime autem teste *Mekkel* ovula Graafiana et ipsa ad ossificationem inclinant et tunicam induunt osseam. Vidit enim saepe in ovariis vetularum cystides modo lentis, modo nucis juglandis magnitudinem ostendentes cartilaginea aut ossea tela obductas. Huic quoque convenire videtur sententiae *Halleri* (26) observatio, in vetulis ovula evanescere et interdum eorum locum tubercula duriuscula tenere. Nonnunquam telam illam osseam pro foetus extra uterum exculti partibus perfacile agnosci posse affirmat *Andral* (27).

7. Pili et dentes. Priorum formatio saepius observatur. Aut singuli inveniuntur et inordinate dispersi sunt, aut in fasciculos coacervati; longitudo variat a pollicibus paucis ad pedes plures; nec minus color diversus, mox fuscus, mox flavus, niger, argenteus, haud semper idem, qui capitis pilorum *Meckelio* auctore semper sunt radicibus veris ornati, sive materiae sebosae, sive membranae alicui insident; contra *Andral* (28), qui nunquam in ovariis pilos radicibus praeditos se detexisse fatetur, casum duplicem distinguendum esse censet, aut enim illos extremitatibus liberis in materiam sebosam, ita ut

---

(26) Element. physiol. Tom. VII. p. 113.

(27) l. c. Th. 2. S. 411.

(28) l. c. Th. 2. S. 409.

nulla adhibita vi tolli possint, esse immersos, radicibusque carere, aut ex membrana quadam cuti simili prominere radicibusque tunc instructos esse. Inveniuntur longe frequentissime in ovario sinistro. Rarior est dentium in ovariis observatio semperque simul quoque pili reperiuntur. Aut libere in ovariis circumjacent, aut corporibus osseis seu cartilagineis omnino plerumque organica forma carentibus infixi observantur. Secundum *Meckelii* sententiam eodem modo, quo legitimi, ex capsulis serosis oriuntur eodemque modo coronae radicibus prius formantur atque eadem, quae apud illos, inter diversas dentium species copiae ratio exstat; imo etiam eorum fieri, ut normalium, commutationem persuasum sibi habet. *Autenrieth* (29) pilos in solis iis censet ovariorum degenerationibus inveniri, quae ex cellulis constent sebaceis, dentes vero in iis tantummodo, in quibus gelatina pellucida et fusca sive mucus subalbidus ac. coagulatione incipiente, tenax progignatur. Uberrimam exemplorum huc pertinentium copiam invenies apud *Dreyssig* (30), *Otto* (31), *Meckel* (32). Nobis autem

(29) Untersuchung ausgearteter Eierstöcke in physiologischer Hinsicht in Reil's Archiv für Physiologie Bd. VII. p. 260.

(30) Handbuch der Pathol. der chron. Krankh. Thl. 2. S. 502 u. 503.

(31) Pathol. Anatomie.

(32) Ueber regelwidrige Haar- und Zahnbildungen in

haecce pauca sufficiant. *Murrey* (33) dentes incisivos, caninos, molares, ossi quasi maxillam simulanti intrusos, in ovario invenit. *Blumenbach* (34) in cadavere mulieris, quae ex viginti, et quod excedit, annis stupendo abdominis tumore laboraverat, ovarium sinistrum in saccum eximiae magnitudinis commutatum vidit: in ipso sacco crines erant contenti partim longiores, convoluti, partim breviores, quibus remotis octo ossa in lucem prodibant latitudine passim duorum digitorum, longitudine diversa, usque ad illam decem digitorum, deformia tamen omnia formamque et figuram humanorum nullo modo imitata erant. Horum quatuor sedecim singula, alium unum multangulum sex, dentibus ornata erant, insuperque novem dentes liberi huc illuc dispersi circumjacebant. Omnia haec ossa, si de magnitudine, firmitate, structura agitur, hominis circiter fuisse dixisses viginti annorum; similitate autem cum ossibus humanis omnino carebant. *Reynaud* (35) ovarium observavit tumorem cysticum crinium convolutorum maxima copia impletum continens; omnes ossi insidebant stylo fibroso cum sacci pariete cohaerenti, excavato, humani tamen nullius

---

dessen deutschem Archiv f. d. Physiol. Bd. I. Hft. 4. S. 519—588.

(33) Voigtel pathol. Anat.

(34) Med. Bibl. Bd. I., S. 152.

(35) Apud Andral l. c. Th. 2. S. 411.

formam referenti. Latus ejus concavum liberum seroso praeditum erat tegumento, convexum autem membrana cutem simulanti obtectum; atque sub ea stratum adiposum exhibuit, ex quo simul cum radicibus facile crines extrahi poterant. Diversa est de harum formationum origine medicorum sententia. Minime autem iis assentiendum esse videtur, qui pro reliquiis eas habent foetus regularis extrauterini, hisce imprimis momentis contra eorum theoriam militantibus.

a) Nunquam aliarum quidquam foetus partium in ovariis detectum est.

b) Neque numerus illarum, neque structura et forma humani corporis legem exhibent.

c) Eadem degenerationum species et apud puellas ante pubertatis terminum, et apud viros et in aliorum quoque organorum tumoribus observata est. *Baillie* de pluribus ovariis illo modo destructis, apud puellas neque pubertatis neque laesae virginitatis ullum adhuc signum praebentes inventis, retulit. *Ruysch* in ventriculo viri adulti tumorem atheromatosum os deforme, dentes quatuor molares pilorumque fasciculum continentem se invenisse narrat. *Schaarschmidt* (36) hominis, *Meckel* (37) equi testiculum pilos continuisse referunt. *Gordon* (38)

(36) Voigtel pathol. Anat. Bd. II. S. 402.

(37) l. c. Bd. 2. Abth. 2. S. 275.

(38) Medico-chirurgical transact. Vol. XIII.

tumorem in feminae mediastino antico repertum ossibusque, quorum unum maxillam superiorem simulabat, dentibus et pilis repletum descripsit. Quamobrem laudanda quidem magis est *Meckelii* sententia: causam proximam harum formationum in abnormi et adaucta genitalium productivitate positam esse pronasque feminas ad eas reddi totius corporis et imprimis genitalium systematis debilitate, coitu cum viris infirmibus enervatisque instituto atque etiam, sine coitu facto, irritamentis genitalium psychicis aut mechanicis; sed haec quoque ad casus, quos supra sub *c*) retuli, explicandos parum valet, ut verisimile paene videatur, haud esse singulare ullum inter genitalium systema illasque formationes commercium mutuum atque eam solam ob causam saepissime in ovariis inveniri eas, quia maxima iis insit vis producendi ideoque summa ad hujus ipsius perversitatem proclivitas.

8. Concrementa lapidea. Terreae quoque nonnunquam materiae, lapidum interdum duritie, in ovariis occurrunt. *Morgagni* (39) inter ovarium fimbriasque tubae tres vel quatuor indurationes parvas subfuscas et fere circulares observavit, quarum membranaceus cortex nucleum lapideum albidum pisique magnitudinis includebat. *Saviard* (40) ovarium magnitudine capitis infantilis, quatuor libra-

(39) l. c. epist. XLVI. art. 24.

(40) Recueil d'Observ. chir.

rum pondere, materia gypso simili expletum describit. Praeterea plura apud scriptores hujus formationis exempla exstant, cui tamen, cum in omnibus fere corporis partibus detecta sit, nihil ovariorum proprietatis causam praebet.

9. Pigmenta varia. Haec aut sub laminarum, macularum striarumque forma ovariorum superficiem occupant, aut major eorum copia in propriis saccis continetur. Quo quidem in casu ex sanguine extravasato variis mutationibus oriri videntur. Hic enim modo fluidus est, modo coagulatus, modo ruber, modo flavus, fuscus, nec non massam fibrosam albidam efficiens, aut in concrementum duriusculum commutatus, parte ejus molliori laminae instar nigrae, flavae, fuscae, rubrae internum sacci parietem obducente. Magna de hac re exemplorum abundantia apud observatores reperitur. *Motz* (41) ovarii figura fere vermiformi, longitudine pollicis integri, latitudine duarum linearum, cujus superficies octo striis nigris notata erat, mentionem facit. *Morgagni* (42) se maculas nigras in ovariis vidisse narrat. Ovaria humore croceo et graveolenti repleta *Bonnetus* (43) vidit, qui idem hysteriae causam in ovariis male coloratis virulentoque liquore repletis nonnunquam positam esse credit.

---

(41) l. c. p. 29.

(42) l. c. epist. XXI. art. 25.

(43) l. c. lib. III. sect. XXXIII. §. V. p. 1329.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Brevi huic ovariorum destructionum sumptae ex cadaverum sectione adumbrationi ea addere signa, quibus florente adhuc vita illa sese manifestent, periclitabor. Cum omnino jam, ovaria aliquo modo aegrotare, perdifficile cognitu sit, multo minus adhuc species illae supra distinctae quoad diagnosin spectari possunt. Quodsi enim, ut de morbo aliquo ovariorum praesenti certe fieremus, contigit, nihil aliud quidquam assequi amplius valemus, quam cognoscere, utrum fluidi alicujus accumulatione, an solidae materiae luxuriatione tumor apparens exortus sit. Quamobrem ii medici, qui in describendis morbis praxin potissimum spectant, recte hydropem tantum ovarii et hypertrophiam (de inflammatione nobis non est sermo) distinguere solent. Sed harum quoque specierum diagnosin tunc demum constituere licet, cum ad certam quandam magnitudinem tumor jam pervenit, ideoque earum symptomata simul enarrare aptissimum mihi videtur, eaque deinde, qũae ad utriusque speciei diagnosin nos ducere possint, adjungam: quin etiam eam ob rem hoc praestat, quod conjunctas plerumque illas occurrere ex iis, quae supra dixi, elucet.

Prima symptomata ex ovariorum morbis proficiscentia ad suspicionem magis eorum, quam ad certitudinem afferendam accommodata sunt. Con-

queruntur aegrotae de sensu quodum gravitatis oppressionisque molesto, de doloribus obtusis, prementibus in intima pelvi et in uno alterove latere, ibidem de doloribus trahentibus, lacerantibus, ad crura usque descendentibus periodicis. Sed paulatim ipsis sensibus quoque nostris symptomata, ad diagnosin aptiora, sese offerunt. Apparet enim supra ramum horizontalem ossis pubis lateris affecti tumor magnitudine nucis juglandis ad illam usque ovi gallinacei, aut planus aut saepius tuberosus, mobilis adhuc; inde, mutata corporis positione, corporis alicujus ab altero latere ad alterum decidentis sensus; postea autem, factis conglutinationibus, immobilis. Uterus ab ovario pressus ita vertitur, ut portio vaginalis ad latus, quo tumor est, fundus autem ad contrarium vergat. Exploratione obstetricia, qua haec signa percipiuntur, ovarii quoque tumor, mobilis plerumque, sentitur. Praeterea torpor, gravitas, inertia pedis ejusdem lateris, postea tumor; mammae interdum dolentes, intumescentes. Ceterum cachexia aegrotae nulla adhuc perspicua, habitus mali vituperandique nihil prodit, secretiones bene procedunt, appetitus haud deminutus. Sensim sensimque per menses, annos tumor increscit, ad eamque non raro magnitudinem pervenit, ut totum abdominis cavum expleat atque ad enormem extendat ambitum. Jam symptomata vehementiora et valetudinem haud ita parum turbantia non desunt.

Apparent dolores ictorii periodici in loco affecto, flatus frequentes, alvi obstructio, anorexia, vomituritio, vomitus, urinae excretio ex tumore premente saepe difficilis, menstruatio aut cessans et pro ea leucorrhoea, (quo quidem in casu incrementum tumoris periodice adauctum animadvertitur,) aut nimis profusa et frequens. Mammarum tumor, si forte aderat, jamjam evanescit, et pro eo relaxatio. Aegrota animo est tristi, demisso, moroso, imo melancholico, hystericis affectionibus obnoxia. Ubi ad tantum gradum malum increvit, alii quoque secundarii accedunt morbi: indurationes et intumescentiae hepatis, lienis, pancreatis, ascites, hydrothorax, hydrops universalis, asthma, suisque singuli propriis symptomatibus aegrotam molestant.

Hydrops a hypertrophia et fluctuatione dignoscendus est et symptomatis illis hydropsiis communibus, quae tamen cum in omni hydrope saccato, tum in hac specie admodum exigua sunt; sacci autem parietibus induratis, fibrosis osseis valdeque crassis, vix ullo modo cognosci potest fluidi accumulatio.

Suppurationibus ovariorum praecedunt inflammationis signa. Dolores increscunt, pedis lateris affecti motio impedita, horripilationes et sudores per diem frequentes, urina turbida, cum sedimento purulento, febris hectica calore ardente, siti vehementissima, vespertino praecipue tempore, pulsu parvo,

debili, frequenti insignis; diarrhoea, dolores atrocissimi in regione lumbali. Abscessus autem quales deinde sint conditiones, supra jam dictum est.

Cum graviditate et ascite frequentissima ovariorum destructionum confusio est. Graviditatis similitudinem tunc imprimis habent, cum nondum multum profecerunt. Ad diagnosin autem constituendam, quae sequuntur, accommodata sunt. Tumor ovarii degenerati ex uno alterove latere exit, inaequalior est, quam qui ab utero gravido proficiscatur, lentius multo increscit, nulla persentitur foetus motio, a tumoris fluctuatione facile distinguenda. Mammarum intumescentia aut nulla, aut mox evanescens posteaque earum relaxatio, portionis vaginalis mutationes in graviditate vulgares omnino desunt; molestiae in initio minores, postea increscentes; in graviditate omnia haec contra.

Ab ascite hydrops ovarii ita discernitur: origo et decursus longe alius, abdominis intumescentia haud ubique aequalis, sed ab uno tantum latere exiens; fluctuatio, ut in omnibus hydropsiis saccatis, exigua et valde obscura, percussionis signa, sonus nimirum vix percipiendus, in ascite secundum aegrotantis positionem diversam extensionem habent, quippe cum, illa mutata, etiam altitudo aquae superficiei mutetur; contra in ovarii hydrope, quaecunque accipiatur positio, eadem semper manent; incommoda universalia molestiaeque hydropicas affectiones ple-

rumque comitantes multo serius aegrotas invadunt, menstruationis autem turbationes multo constantiores, remediorum diureticorum atque purgantium nullus fere fructus.

Nihilominus tamen maximis plerumque difficultatibus diagnosis obnoxia est. Situs tumoris non semper tam certus et unus idemque; dolores non in omnibus casibus in uno tantum latere; saepissime cum uteri degenerationibus conjuncti sunt ovariorum morbi; abdominis intumescentia tam aequalis interdum est, ut facile eam pro ascite incipiente habeas; formam figuramque exhibent tam irregularem nonnunquam, ut aliorum abdominis viscerum vitia adesse existimare possis. *Andral* (44) feminam observavit tumore abdominis duplici laborantem, quorum alter pro ovarii dextri degeneratione habebatur, alter ex hepatis lobi sinistri aut lienis induratione et intumescentia videbatur proficisci. Sectione post mortem instituta tumor detectus est ovarii dextri ad hypochondrium sinistrum usque extensus, qui ex partibus duabus stylo tantum angusto et perduro cohaerentibus constabat.

CAUSAE.

De propria illa ovariorum ratione et anatomica et physiologica, quae tantopere ea ad dege-

(44) l. c. Thl. 2. 408.

nerationes prona reddat, in exordio uberius disserui. Restat igitur, ut eae quoque causae, quibus efficitur, ut morbosa metamorphosis revera sedem in illis sumat, accuratius describantur. Haec autem res in pathologia degenerationum ovariorum ad obscurissimas pertinet. Illae enim gradu tam lento incedunt et initio symptomatis tam obscuris tantum se produnt, ut exordium earum vix unquam dignoscatur; postea autem admodum difficile cognitu est, symptomata praesentia, uti hysteria, mensium turbatio, sterilitas, utrum pro causis, an pro effectibus illarum habenda sint. Ideo diversa est medicorum de hac re sententia. Praeterea etiam animadvertendum mihi videtur, multas res a medicis saepe inter causas ovariorum morborum enumerari, quae num revera inculpandae sint, vehementer dubito. Huc pertinent omnia ea, quae in totum potius organismum, quam in systema genitalium speciatim agunt, uti secretionum quarundam, haemorrhoidum, diarrhoeae, sudorum suppressio, efflorescentiae cutaneae repulsae, refrigerium et alia id genus. Cum enim ovariorum degenerationes tam exiguas et nonnunquam fere nullas totius organismi reactiones excitent ipsiusque valetudo parum tantum iis laedatur, nisi si ovarium degeneratum aliquo modo turbet ceterorum organorum functiones, recte me colligere posse mihi videor, aeque etiam parum quae in toto organismo procedunt mutationes gravem exercere

in ovaria vim, nisi vitae illius conditio penitus illis pervertatur; imo etiam directe eo hoc comprobatur, quod omnia ea remedia, quae suscepta in sanguinis circulationem tantum aliquid efficiunt, contra ovariorum morbos aut parvum aut nullum fere fructum afferunt. Ex hac autem inter organismum et ovaria relatione perspicuum esse videtur, ea sola inter causas referenda esse, quae ipsum ovarium aut systema saltem genitalium speciatim feriant. Praedisponere videtur ad illos aetas provecta, imprimis ad hydrovarion, circa involutionis tempora frequentissime occurrens atque tunc secundarie saepe ex ceteris degenerationum speciebus, ut ex scirrho, steatomate etc. exoriens. Namque harum multae prioribus quoque annis adeoque jam ante pubertatis terminum haud raro inveniuntur. Praeterea quoque supra jam dictum est, ovariorum morbos et imprimis hydropem sinistrum potissimum ovarium invadere, quamquam ceteri satis frequenter etiam in dextro sedem habent. Ad causas occasionales prae omnibus pertinent coitus nimis frequens, menstruationis praecipue tempore institutus (*Schoenleinio* auctore), et si nulla inde sequatur conceptio, partus difficiles, frequentes et ex iis orta genitalium nimia debilitas, masturbatio, affectus psychici libidinosi, sexualis systematis excitationem efficientes, praecipue si coeundi cupiditati non indulgeatur, quapropter frequentissimum hoc malum est

apud sorores monastericas: abortus frequens et ea, quae mechanico modo ovaria infestant. Hystericas quoque affectiones, mensium ataxiam, leucorrhoeae suppressionem et alia hujusmodi, etsi saepissime forsan degenerationum ovariorum effectus sistant, tamen interdum quoque inter causas numeranda esse, non dubitandum puto.

VITA.

Ego *Theodorus Ameke* natus sum Mendenae, oppido Guestphaliae, anno MDCCCX, parentibus, quos sospites adhuc veneror, *Francisco Ameke* et *Friderica* e gente *Westhoff*. Confessioni addictus sum catholicae. Primis tirociniis in urbe patria jam instructus, decimum quartum annum agens ad Gymnasium me contuli Arnsbergense, quod, per annos quatuor et dimidium frequentatum, commutavi deinde cum eo, quod florebat tunc Richlinghusiae Directore Dr. *Wuellner*. Annum ibi versatus maturitatisque testimonium adeptus Bonnam petii ac civibus academicis a Rectore Magnifico *Gieseler* adscriptus, per annum integrum literis ibi vacavi atque hasce visitavi praelectiones: Logicen et Psychologiam Cel. *van Calker*, Physicen Ill. *a Muenchow*, Chemiam Ill. *Bischoff*, Zoologiam Ill. *Goldfufs*, Botanicen Ill. *Treviranus*, Mineralogiam Ill.

Noeggerath, Anatomiam generalem et specialem Ill. *Meyer*, Osteologiam Ill. *Weber*, Encyclopaediam et Methodologiam, Physiologiam Ill. *Mueller*. Anno praeterlapso in universitatem Herbipolensem litterariam profectus sum, ubi, a Rectore Magnifico *Seiffert* in numerum civium academicorum receptus, has adii praelectiones: Pathologiam et Therapiam generalem Ill. *Hoffmann*, Anatomiam pathologicam et comparatam Ill. *Muenz*, qui quoque in cadaveribus rite dissecandis dux mihi fuit; Chemiam pharmaceuticam, Pharmacognosiam et Pharmacodynamicen Cel. *Rumpf*, Chirurgiam, artem operationes in cadavere rite instituendi Ill. *Jaeger*, Pathologiam et Therapiam specialem Ill. *Schoenlein*. Clinicum medicum adii Ill. *Marcus*, chirurgicum Ill. *Jaeger*, obstetricium Ill. *d'Outrepont*, qui idem quoque in cursu operationum obstetriciarum dux mihi fuit. Annos duos integros ibi versatus, Berolinum me contuli et a Rectore magnifico Ill. *Straufs* civibus academicis et a Decano spectabili Ill. *Busch* gratiosae medicorum facultati adscriptus sum. Clinicum chirurgicum Ill. *Rust*, ophthalmiatricum Ill. *Juengken*, medicum Ill. *Bartels* et Cel. *Wolff*, policlinicum medicum et chirurgicum Cel. *Truestedt* ibi frequentavi.

Quibus omnibus viris, praeceptoribus optimis maximeque de me meritis, gratias ago et semper habebo maximas.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Post exstirpationem scirrhi et carcinomatis reunio per primam intentionem praeferenda.*
2. *Morbi sunt remedia validissima.*
3. *Theoria antliae sugentis ad sanguinis circulationem non referenda.*
4. *Affectus gravidarum psychici, visu excitati, in foetus formationem influunt.*